

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~  
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii  
Regii Glauchensi

74.  
GRATVLATORIA

Quibus

*VIRUM Admodum Reverendum, Clarissimum  
& Excellentissimum*

DN.

**M. MARTINUM HEINSIUM,**

Ecclesiæ Francofortanæ ad Oderam Pastorem Di-  
gnissimum, ejusdem & vicinarum Superin-  
tendentem Gravissimum

Cum

*Leetissima pudicissimaq; VIRGINE*

**ANNA HEDEWIGA SEGERS**

*VIRI*

*Reverendi & Clarissimi*

DN. M. IOHANNIS Segers /

Superioris Ædis Francofortanæ Symmystæ  
quondam vigilantissimi meritissimi,  
relictæ Filia

Die 18. Jan. Anno 1647. ibid. Francofordiæ

Nuptias contrahentem

*excipiebant*

Fautores & Amici.

---

Typis Viduæ EICHORNIANÆ.

**P**ost fletum risus sequitur, post nubila Phœbus!  
Quippe DEUS, quæ sunt tristia, læta facit.  
Si dubitas, ades huc! Clarissimus HEINSIUS hoccè  
Mysta DEI, exemplo comprobat ecce suo!  
Ille tori sociam lacrimis deflevit amaris,  
Ut rapuit Mortis vis inimica trucidis:  
VEHRIA sic meruit pia, Claro nata Parente,  
Cujus BERLINUM dogmata sacra colit.  
Sed non absimilis succedit, nata SEGERO  
Virgo, nova hinc annò gaudia fertq; novò.  
Gratulator, & plures Tibi Chara SEGERIA vivat  
Annos, TE multà prole beetq;, precor!

Aff. & Benevolent. ergò Berolino mittebat

Andreas Bernicke / Sacri Palatij  
Lateranensis, Aulæq; Cæsareæ, &  
Imperialis Consistorij Comes, nec  
non Sereniss. & Potentiss. ELE-  
CTORIS Brandenburgici  
Consiliarius.

---

**A**Rdua res, thalami conscendere pulpita, bisq;  
Solvere diversis, debita jura tori.  
Ardua res Christi conscendere pulpita, turbæ  
Sanctaq; salvifico verba secare modo.  
Duplice, Tu GENER, Antistes sacer atq; colende,  
Auspicijs sanctis hoccè labore viges.  
Ille Deus socij qui sanxit fœdera lecti,  
Corcula vestra velit jungere amore pari;

Utq;

Utq; tori atq; Chori videas per-gaudia multa  
Et vigeas multâ prosperitate diu!

*Genero plurimum dilecto grat.*

*Samuel Hoffmannus, S. S. Theolog. D.*

Serenissimi & Potentiss. ELECT. Bran-  
denb. S. Consistorij Consiliarius,  
Ecclesiarum Berolinensium  
Præpositus & vicinarum  
Superintendens.

---

M. MARTINUS HEINSIUS.

*per anagramma*

HEM! MARS NISU; SI UNIT.  
ARS ME HIS UNIS MUNIT.

**S**olus Conjugij Deus est fundator & auctor;  
Copulat ille suâ pectora bina manu:  
Mox eadem magno dirimit non absq; dolore  
Unanimi quondam corda ligata fide.  
Denuò at intereà liventia vulnera sanat,  
Atq; agro medicas porrigit ipse manus.  
Nonne expertus idem nunc, HEINSI, Sponse, profaris?  
En! redit in thalamum Virgo pudica tuum.  
Quam prius abstulerat Deus, hanc cum fœnore reddit;  
Gratulor! ô cordis dulce malagma fiet!  
HEM! MARS dum tanto pergat disjungere NISU  
Mentes, ne metuas, SI Deus UNITEas.

A 2

Huic

Huic confide, ora, tua fac, & dilige Sponsam,  
Hæc ARS ME HIS UNIS optima MUNIT, ai!

Cum voto omnis prosperitatis gra-  
tulabundus fac.

M. JACOBUS Helvvigius, Præ-  
positus & Inspector Suevo-  
Coloniensis.

---

Genero suo dilectissimo

DN. M. NARTINO HEINSIO, ad vota secunda accedenti.

**H**actenus, ut turtur, tristem sine Compare vitam  
Duxisti, expellens gaudia quæq; procul.  
Post luctum tandem redit, & Tibi jungit amico  
ANNAM SEGERI foedere castus amor.  
Sit foedus firmum, lætam post tristia vitam  
Transige, Conjugij gaudia mille fient.

M. PETRUS VHER,  
Ecclesiast. Berlin.

---

**S**PONSE, loco gaudes ANNAM revocare CATHRINÆ,  
Lætor ego cœptis, hæc nova vota cape:  
Adsit Sancta TRIAS vobis, & amore perenni  
Pectora vestra liget, ne sit amaror amor.  
Vos & vestra beet præpingui limina censu,  
Vosq; sinat lætâ crescere prole, toro.

*Sic ὀλοψύχως νοῦνεο*

M. JOHANNES Balkar/  
Ecclesiæ Cathedralis Episco-  
patûs Brandenburgici  
Pastor & vicinarum  
Inspector.

In

In Secundas Nuptias

VIRI Admodum Reverendi atq; Clarissimi  
DN. MAGISTRI HEINSII, Pa-  
storis ac Superintendentis Francofurdi  
ad Oderam dignissimi  
Sponsi &c.

**P**astoris sunt signa boni quæ ritè sequenda,  
Ut placeat Domino, qui regit omne solum:  
Signet, præcedat, pascat, potetq; lavetq;  
Sanet oves, quærat, portet agatq; domum.  
Es talis Pastor fidus, celeberrime Sponse  
HEINSI, qui quæris, pascis oves, animas,  
Desuper hinc Agnam tibi jam concedit amicam,  
Collocat inq; tuum summus Iöva sinum:  
Ex sanctâ, quæ Pastoris, radice propago,  
Surculus ecce novus, Sponsa novella datur.  
Gaudia magna, tibi mæsto, pia reddidit Agna,  
Sponsum nunc recreans ANNA novella suum.  
Agna fuit quondam tibi dulcis, Clare Magister  
Pastoris recreans, sed periens abiit.  
Unde dolor magnus surgit, sed nunc novus, inde  
Gaudia tanta tibi, gaudia mille tibi.  
ANNA satis blanda est, tua Sponsa pudica, decora,  
Pastorem sequitur, Gratulor ergò tibi.  
Hanc Agnam pascas, lati vos vivite in annos,  
Agna & ovis, Pastor fructificent vigeant.

Sic ὀλοκαρδίως vovet

M. Joach. Fromm. Ecclesiast,  
Berol. Nicol.

**H** Aut caret eventu, quicquid Pietate magistrâ,  
Pro vitâq; pij, proq; salute, vovent:  
Cœlestem ad Patrem SPONSÆ pia MATER abibat,  
Quando suæ gnatæ prospera vota daret;  
Munere consimilem PATRI, virtuteq; Sponsum  
Vibritus optabat pro pietate suâ.  
ANNULA SÆGERIANA TIBI dum jungitur, HEINSI!  
Quod fuit in votis Matris, id acta probant.  
Gratulor: Ex anno fluat annus, & adfluat omni  
Omne bonum, felix finis & ortus eat.

M. GEORGIUS LILIUS.

Aliud.

**V**ota secunda cano TIBI nunc, qui Vota secunda,  
VIR VENERANDE capis, vota secunda cano.  
ANNULA Grata tuum venit HETVVIG SÆGERIANA  
In thalamum, Gremium ac ANNULA Grata tuum.  
Sit tibi conjugium PERFELIX, Sit BENEDICTUM,  
PROLEq; FOECUNDUM sit Tibi conjugium.  
Gaudia mille Deus det, mutua gaudia cordis,  
Gaudia detq; Anima gaudia mille Deus.  
Noxia quæq; fuget Deus, expellens mala cuncta,  
Corporis atq; Animæ Noxia quæq; fuget.  
Vos in AMORE DEUS Conservet firmiter ambos,  
Roboret & vero vos in AMORE Deus.  
Regna beata poli det vobis Rector olympi,  
Qui tenet & donat regna beata poli.  
Sufficit inde mihi Votis conjungere Vota,  
Cætera præstet AMOR, sufficit inde mihi.

Ut



Ut rata vota sient **BENEDICAT CHRISTUS IESUS,**  
*Annuat & clemens, ut rata Vota sient.*

Sincero Cordis affectu apponebat  
hæc MLq;

**Johannes Rolnerus Synodiaconus**  
Berolini ad D. Nicolai.

---

**D**Um moderante DEO jungis tibi foedere Sponsam  
HEINSI, legitimo, plurima fausta precor.  
Faxit Conjugij sacri fautor & Autor,  
Ut benè succedat, quod benè cœpit, opus.  
Aurea pax, dulcis concordia, mutuus ardor  
Adsit, sed procul hinc jurgia quæq; sient.  
Vivite foecundi, foecundos edite foetus,  
Indole qui referent & pietate patrem.

*Fauste congratulationis ergo*

*Colon. faciebat*

**Martinus Hännischius,**  
Verbi ad D. Petri Minister.

---

**M. MARTINUS HEINSIUS**

&

**ANNA HEDEWIGE SEGERIN**

per anagr.

omisso g.

**HEUS MANNA VENIT, REGES EAM. ID INNUIS RISU.**

**N**Osse cupis, quæ, SPONSE, torum, CELE-  
BRATE per ora

*Cunctorum, scandat SPONSA PUEL-  
LA Tuum?*

Allusio ad c. 16, 15. Exod.  
ubi de manna cælitus de-  
lapso tanq. de re insuetâ  
& admiratione dignâ  
quærebant Israëlitæ  
נִיחַן מַן h. e. ut Lxx  
rectissime verterunt, T

**HEUS**      ם51 7870 5

HEUS Tibi MANNA VENIT præstanti corpore  
Nympha,

ANNA sit illa retro nomen id omen habet.

Manna enim dicitur à **מַן** distribuit, & est  
juxta quosdam (rectius  
tamen statuitur particu-  
la Syriaca) idem ac portio  
unicuiq; ad mensa.

Quam Tibi particulam sociavit calicæ vir-  
tus  
Cordis ut auferret vulnera prima  
Tui.

MANNA πολὺν λειψόν fuit, & tua Sponsa novella,  
Dotibus excellit splendida multijugis.

MANNA erat atq; μελίρροτον, & Tua Sponsa puella  
Mel Tibi largifluum stillat amoris idem.

ANNA Dulcis amica venit vitæ solatia præstans,  
**בַּסָּמָה** Basia multiplicans dulcis amica venit.

MANNA venit gratum, venit en tibi mellea virgo,  
Non trux ira venit, sed CHARITILLA venit.  
Moribus insignis, superans virtute puellas  
Sidereis oculis, purpureisq; genis.

Quacunq; aspicias micat hinc decor, inde venustas,  
Fucunda assurgunt undiq; delitia.

Cerne modò argutos quî in Te deflectat ocellos,  
Doctiloquoq; Tuo semper in ore habitat.

Hanc cè REGES contra, defendes, Optime Sponse  
Atq; patrociniò Tute tuebere E A M.

Tute tuere, gubernare, dilige, corrige Sponsam,  
Cum quâ certabis semper amore pari.

Esse

*Esse soles comis, nec Te indulgentior alter,  
Risu quicquid aures INNUIS id placido.  
Non Tecum ira furens habitat nec tristis Erinnyis,  
Ex oculis spirat gratia multa Tuis.  
Hinc tacitos in corde fovens nova Nupta calores  
Optato refici conjuge prona cupit.  
Quàm benè conveniet vos inter corcula bina!  
In quibus est eadem gratia, mens eadem.*

*Venâ frigidâ sed voto calido, eximio  
Sponsorum pari accin.*

*M. Adamus Spengler  
Gymn. Berl. Rect.*

Ode

Alcaic-Archilochio-Pindarica.

**N**on semper eructat tragicos sonos  
Brumale frigus: Nec glacie nitet  
Æquor coactum semper: udus  
Nec pluviam ipse ciens Orion  
Imbres nocivos contrahit usq;: nec  
Limosa tellus, dum Boreas fremit  
Vasto ore fævus, contremiscit,  
Aut gemebunda pavescit usq;:  
Sed deniq; æstas purpureo redit  
Vultu, nivosum quando perit gelu;  
Rursus jacet Phoebus nitorem  
Blandidulum, tenebris fugatis.  
Sic non feroces usq; tonans minas  
Pressos molestat fors homines ferox:  
Sed dat statu feliciori  
Deniq; terrigenas fruiscei.

B

Te

Te nuper horrendos reboans hyems  
Flatus, fatigans omnigenis modis  
Malas rigantem comprimebat,  
Quando tibi rapiens necabat  
Mors vix datam sævâ sociam manu.  
Tristes dolores tunc animo premens  
Ex corde voces proferebas  
Sat querulas, gemitusq; multos.  
Mentem jacentem nil recreans erat,  
Nil, quod ferebat lætitiâ tibi;  
Ædes erant tristes, jugalis  
Tristis erat torus atq; mensa.  
Multis tuas foedans lacrimis genas  
Tales querelas cum gemitu dabas:  
Dilecta quò tendis? meum Cor  
Quò fugis? Heu! mea amica quorsum?  
Quæ Morta te avulsam lateri meo  
Raptans trahit conatibus improbis?  
Quid factitem solus? mihi quis  
Porriget heu! misero levamen?  
Tales querelas cum gemitu gravi  
Extorsit en! dilectio conjugis,  
Atrox furentis quam necavit  
Vis Lachesis sicilicet acuta.  
Verum quiescant nunc lacrimæ graves,  
Pectus quiescat discrucians dolor,  
Nunc flebiles cessent dolores,  
Nunc miseri gemitusq; cessent.  
En bruma, quæ movit tibi turbines,  
Diffugit! ætas en redit optima!  
Imber boans nunc cum procellis  
Desijt, & rutilis quadrigis

Phœbus

Phœbus vehens hem! blandidulum jubar  
Latè refundit. Sors vi duans torum  
Primum tibi vultu favente  
Et placidis oculis videtur.  
Jungis maritam nunc aliam tibi,  
Demortuæ quæ ferre queat vicem:  
Hæc blanda lux, hæc est levamen  
Hæcqu; quies gravium dolorum.  
Hæc suave (credas) basiolum tibi,  
Hæc hæc vicens, florens erit hæc tibi  
Semper rosetum, hæc hæc amœnis  
Blanditijs animum terentes  
Curas amicè fallit. Amica lux  
Hæc hæc toro obsepto gravioribus  
Lucem tenebris innovabit  
Gaudia multa ferendo lætè.  
Certè jugalis nunc tibi dulcior  
Lectus, renidet nunc tibi pulchrius  
Tectum : ergò vestes lugubres nunc  
Exue, & indue, Sponse, lætas.  
Cernin', coronam, quam tibi Nupta fert,  
Sertum viden', quod nunc tibi nectitat  
Formosa Virgo flore dulci,  
Atqu; tuo capiti applicatur.  
Tristes remittas nunc animo tuo  
Curas, erit postàc ratio tibi  
Non ulla luctus : hæc amanter  
Auferet omne genus dolorum.  
Formæ venustæ si videas decus,  
Cedit puellis hæc reliquis nihil.  
Fulgente splendent ocelli  
In facie, ut rutilant sereno

Stellæ polo: blandum residet decus  
 Rubris labellis: næ niveo micat  
     Collum velut sparsum vapore,  
     Sive nitet Parij ut lapilli.  
 Hæc hæc voluptas, hæc tibi gaudium;  
 Hæc hæc quies, fallens mala quælibet:  
     Jungens tibi hanc præclare Sponse,  
     Usq; novos agites triumphos.  
 Et Sponsa talem nacta tibi Virum,  
 Qui doctus est verè, pius ac probus,  
     Qui Concionator supremus,  
     Pectore lætitiâ refunde.  
 Hunc, Sponsa, Sponsum amplectere suaviter,  
 Solo quiesce ac hoc socio toro:  
     Sic flamma nectet bina corda  
     Non violanda necis furore.  
 Hanc, Sponse, Sponsam amplectere suaviter  
 Solâ quiesce ac hæc socia toro:  
     Sic flamma nectet bina corda  
     Non violanda necis furore.  
 Ast hæc satis sunt: Vos igitur benè  
 Vestro in toro convivite: Nestorem  
     Tu Sponse vincas; Tuq; longos  
     Sponsa dies videas Sibyllæ.

M. Petrus Thesendorff  
 Gym. Berl. Con-Rect.

Vide Carm.  
 Nupt. Dn.  
 Philip Jac.  
 VVolfj.

**S** Cripserat & calamo ac animo pius HEINSIUS  
 Cum peteret VVolfj fata benigna toro, (olim,  
 Se Berolinensem constanter amâsse puellam,  
 Quæ toto placuit pectore sola sibi:

Propter

Propter & hanc unam, Berolinum quas generasset,  
Omnes se semper magnificare pias.  
Quaritis ergo pia, & blanda, facilesq; puella,  
Cur aliam quærat, currat & ad Viadrum?  
Sed benè. nondum animum mutavit, nec peregrinam  
Connubio Sponsam jungere constituit.  
Nam sibi quam sociam Francfurdi fœdere junxit,  
Cum Berolinensis, tum Viadrina cluet.  
Urbs etenim mater fuit altera, & altera nutrix  
Francfurdum vitam: ast hæc alimenta dedit.  
Connubii causam si vultis: jungat ut urbis  
Utriusq; sibi Virginum amicitias.  
Quare Vos Berolinenses nolite puella  
Irasci, Nuptis nec malè velle novis.  
Nec Dominum Sponsum vos despexisse putate,  
Nam Vos semper adhuc diligit, hanc sed amat.  
Quin potius sociæ quondam benedicite vestra  
Tadis, & mecum vos rogate Deum;  
ANNA HEDVVIG multos vivat feliciter annos,  
Nec ceu canna levis, morte perempta cadat.  
Vivat & incolumis, felix, expersq; dolorum  
Heinsius, & vincat secula Mathusalem.

Ita ex animo

Joachimus Francus, Gymn.  
Berol. Sub-Rector.

**N**on altum sævo cælum tonat usq; tumultu,  
Nec semper fundit nubilus Auster aquas;  
Sed nigræ fugiunt nubes: fera fulmina cessant,  
atq; suâ Titan lampade lustrat humum.

**H**EINSIUS hoc clarus nobis testatur abunde,  
 Qui Francofurdi dogmata sacra docet.  
 Non ita te pridem viduum sors fecerat atra,  
 Vincula dum dulcis solvit amœna tori;  
 Aura sed afflictas hodiè res mitior afflat,  
 Dum thalamum scandit casta virago tuum.  
**A**NNÆ nomen habet, Pastoris sanguine creta,  
 Tale dabit donum Gratia Dîa pio:  
 Cujus in ore nitet pietas, in pectore candor  
 Emicat, in toto corpore fulget honor.  
 Illa tuo tristes depellet pectore curas,  
 Rebus in adversis dulce levamen erit:  
**E**rgo DEO Duce vota tibi, vir Clare, secunda,  
 Verè ut utriq; sient vota secunda, precor.

*συγχαρημαλος E. app:*

Christophorus Hindenberg.

**A**rgentum antiquo ritu fert unus & alter  
 Illis, qui jungunt fœdera casta tori;  
 Sed quia destituunt me pondera fulva Metalli,  
 Vir prædocte HEINSI, talia dona fero:  
 Vivite Concordes subeuntes Vincula læti  
 Conjugi, sapiens quæ DEUS instituit,  
 Vivite felices, tantisper tædia vitæ  
 Dum, vocitante DEO, deposuisse juvet,

*Ita grat. Dn. Aff. suo*

Nicolaus Garverus, Gym. Berol. Coll.

*Nova γάμικα*

**H**Aud hodie immeritò grator tibi docte Magister,  
 Gratulor & Sponsæ, VIRVENERANDÆ, tuæ,  
 Et Precor, & cupio, devotus flagito corde,  
 Detq; DEUS votis pondus inesse meis.  
**PELLE PROCUL SATANÆ SÆVUM PIE CHRISTE** furorem  
 A tædis captis conjugibusq; novis,

Pel



Pelle procul lites & amaræ prælia linguæ,  
A thalamoq; novo tristia pelle procul,  
Nam veluti thalamus posthac vos unus habebit,  
Sic una in vobis mens sit. & unus amor,  
Una sit in vobis semper mens, una voluntas,  
Unicus & teneat pectora bina calor.  
Crescat amor suavis, fructus succrescat amoris,  
Hinc vobis surgent gaudia mille toro.  
Affluat ambobus precor ut fortuna, torumq;  
Pignoribus multis & Venus alma beet.  
Conjugium Sponsis toto ut sit tempore felix,  
Id precor ô IESU fac bonitate tuâ.  
Vivite vosq; diu quod jam Gnospelius optat.  
IESU da votis pondus inesse meis.

Honoris & fausti ominus ergo  
admodulabatur

Georgius Gnospelius Cantor Berl.  
Ecclesie Marianæ.

**F**iliolis Strenam Pater ut consuevit in anni  
Felix auspiciis suppeditare novi;  
Sic tibi Jova dedit Sponsam, peramabile donum,  
Quo nihil in vita gratius esse potest.  
Filia Doctoris præclari damna prioris  
Conjugij reparat nobile, virgo, bonum.  
Frigidulum in lectum quoniam succedit honestæ  
Matronæ, quæ jam contumulata jacet,  
Isthat naturâ quondam ductrice Magistri  
Docti PETRI VEHR filia chara fuit.  
Ergo suscipias æquiq; boniq;, quod offert,  
Vir Reverende, Deus, quâ est bonitate tibi.  
Qui solus magni gerit exorabile nomen  
Patris, conjugium prosperet ille tuum.

Johannes Rünemann/ Gymn.  
Berol. Collega.

**W**as sol / Herr Breutigam / was sol denn ich euch schenken  
An eurem Ehren-tag? Ich kan gar nichts erdencken.  
So bin ich auch zu arm / das ich euch rothes Gold /  
Wie gern ichs denn auch thât, anitzo schencken solt.

Jedoch diß wil ich thun; Ich wil euch Gottes Segen  
Von Gott erwünschen; Gott der sey auff euren Wegen  
Bey euch mit seiner Gunst; Er laß euch/liebes Paar/  
Den Ehesegen seh'n/nach Willen, alle Jar.

Johannes Marggraff/des Ber-  
linischen Gymnasij Collega  
infimus.

### Dactylischer Glücks-wunsch.

**W**en Gleich und Gleich zusammen sich helt/  
Wie das gemeine Sprichwort vermelt  
Den auch die Thiere in Thalen / in Gründen/  
All' mit einander ihrs gleichen wol finden/  
Damit sie sich mögen nehren/ und ehren/  
Lieben / vnd züchtig in Frucht sich auch mehren:  
So thut ihr billich/ das ihr euch wolt halten  
Zu euers gleichen/ und Gott lassen walten  
All euer thun und lassen beneben/  
Dazu Gott dem Herren nur gantzlich ergeben/  
Er wird euch auch Reichthum geben die Fülle/  
Wartet nur aus in Gedult und in Stille.  
Er wird euch segnen mit viel jungen Erben/  
Die er auch gar nicht wird lassen verderben/  
Sondern sie führen/erhalten / und nehren/  
Nothdurfft des Leibs/und der Seel bescheren/  
Bleibt nur es wird gar gewisse geschehen/  
Ihr werdt's wol selber erfahren und sehen.  
Gott geb' euch derhalben viel Glückes und Segen/  
All euer thuen und lassen hergegen/  
Wol er regieren/und walten in allen/  
Wie es ihm und euch wol möge gefallen/  
Er geb euch Glück bey einander zu wohnen/  
In Gottes-furcht/er wirtds euch wol belohnen/  
Vnd euch dan dafür das ewige leben  
Aus Gnaden umb Christi willen geben/  
So wol auch uns allen mit euch zugleich/  
Verhelffen einmahl in das Himmelreiche.

Dieses entwarff in Kehl seinem Hochgeehrten

Herrn M Martino Heinsio,  
Godofredus Rosnerus Berlin:

Serò transmissum.

**D**Ulcis & amarities torus est, dulcedo & amara:  
Gaudens - lamentum; flens - risus; aquosa - Falerna.  
*Sed benè habet; Christi presentia temperat Omnem  
Sortis mixturam crepera: Feliciter illud  
Cedit conjugium, in quo CHRISTUS primus habetur  
In risum lacrimas, undas in vina saporans.  
Temperie hâc thalamus tuus buc innotuit usq;  
HEINSI, Theologûm Decus ô pranobile nostrûm!  
Dulcia vina tibi miscebat Vehria: At ô quàm  
Hydria præproperè heî! tua spumabat crucis unda!  
Nunc post exhaustas lacrimas, mœroris abissum &  
Depletam, ecce tibi nova vina & mella refundit  
ANNA illa HEDVVIGIS docti pia nata SEGERI.  
Christe fac illa fluant caelesti & fonte benignè  
In vestrum & nostrum thalamum, & quem Filia proximò  
Ingressura die festivò, ô Numine faustò!*

Honoratiff. Dn. Adfinis thalamum  
honorare debui

Johannes Bercovius, Eccle-  
siastes Berlinens. æd.  
S. Mar.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

Johnnes Barovius, Rector  
Hic Berolincensis  
1611

Glück  
Doctores  
Herr  
NIHN  
Doctor  
Sup  
Herrn  
wollen  
8



Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio  
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciburo.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano  
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij  
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quò Deus Autor,  
Cui te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus  
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

**SPIRITUS** Orator caelicus ille, tuam.

Seminiū Disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

**BAPTISTAM** ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

**GEBELI!** verà pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quèis sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene serò) tuis,

Cum tuba te rupta tumbà revocabit ab umbris,

**IOVA**, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosià rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati pramia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

**JANE** mihi multo n nomine charè! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674





Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color  
Black

19  
VLATORIA

Quibus

um Reverendum, Clarissimum  
Excellentissimum

DN.

NUM HEINSIUM,

tanæ ad Oderam Pastorem Di-

lsdem & vicinarum Superin-  
ntem Gravissimum

Cum

udicissimaq; VIRGINE

EWIGA SEGERE /

VIRI

endi & Clarissimi

HANNIS Segers /

s Francofortanæ Symmystæ

igilantissimi meritissimi,  
relicta Filia

no 1647. ibid. Francofordiæ

tias contrahentem

excipiebant

autores & Amici.

luæ EICHORNIANÆ.